



kem/3496(1-9)

553



DE

5

# CAUSSIS QUIBUSDAM ABORTUS.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

HALENSIS,

UT

GRADUM DOCTORIS IN MEDICINA

RITE ACQUIRAT,

D. XI. DEC E M B. MDCCIC

PUBLICE DEFENDET

A U C T O R

H E N R I C U S B O E L L I N G

M A R C A N O - G U E S T P H A L U S.

---

H A L A E,

T Y P I S S C H I M M E L P F E N N I G I A N I S.

ANTHONY JAMES LIBRARY

10.11

DE

## CAUSSIS QUIBUSDAM ABORTUS.

### INTROITUS.

§. 1.

Medici plures partum, ante mensem septimum oppetentem, dicunt *abortum*, atque infantem hoc tempore elapsa natum, vitae continuandae capacem habent; infantem vero aboritu editum incapacem. Multi quemvis partum praematurum dixerunt *abortum*; et ego, in caussis praecipuis investigandis, in hoc sensu latiori, voce *abortus* utor.

§. 2.

Caußae abortus maxime variant: externis nempe et internis efficitur. Procul

A



dubio aliae aliis frequentius occurunt, strictioremque a nobis observationem exigunt; praecipue, quum haec objecta, equidem quantum mihi constat, observationem multorum effugiant. Hisce frequentioribus caussis potissimum accenseo: *retroversionem uteri*; ejus haemorrhagiam; demum venaelectionem, praeter necessitatem, in gravida institutam. De quavis harum caussarum agam singulatim, et ostendere studebo modum, quo hi status maxime timendi oriantur, quidque, ut eis praecaveamus, fieri oporteat.

### §. 3.

Benevolum interea lectorem obsecro, ut hunc primum mei laboris fructum, quem legibus academicis satisfacturus suscepi, ut cunque immaturum, in bonam partem accipiat. Objecta singula pertractata ejus sunt generis, ut ad ea rite pertractanda observatio specifica castum singulorum requiratur, quae mihi obvia et frequens hic usque esse non potuit. Attente legenti hoc opusculum utique non satisfaciet; sed



sufficiat, observationi strictius et accuratius, quam hucusque fieri consueverit, instituenda, nonnullis occasionem obtulisse.

---

### SECTIO I.

#### DE RETROVERSIONE UTERI.

##### §. 4.

Versio uteri potest triplici modo evenire: antrorum, retrorum et ad latera. Est morbus uteri, qui nostra aetate magis innotuit; et licet prius sit observatus, observationes tamen hae speciales, saepe minus perfectae, attentionem haud eam excitarunt, quam rei gravitas postulabat.

Anteversio et retroversio variant pro varietate situs uteri. In priore vergit fundus antrorum; in posteriore retrorum. Observationibus testantibus, anteversio et rarius et minore cum periculo ac numero quam tam perfecta occurrit, quam retroversio, quod et proportio partium earumque situs evincit.

A 2

Quae hic fusius allegabo, retroversio-  
nem uteri spectant, utpote crebriorem  
abortus caussam, ut ego quidem conjicio.

§. 5.

Retroversio uteri est status, in quo, ejus  
fundo aut successiva aut subito in excavationem  
ossis sacri demisso, ipsius uteri oris-  
cium versus symphysin ossium pubis altius  
ascenderit, et quidem ita, ut explorando  
vix aut nequaquam attingatur.

Quin fusius investigem: an hicce sta-  
tus in solo gravido aut non gravido utero  
locum obtineat — retroversio quippe ute-  
ri, cœu caussa abortus, uterum semper gra-  
vidum indigitat — definite tamen afferi  
posse putem, hunc casum vi caussarum re-  
troversionem efficientium aut ad eam di-  
sponentium aequa ac ratione modi, quo  
oritur, in solo utero gravido plerumque  
esse eventurum. Casu ejusmodi itaque oc-  
currente, animo quoque occurrat, foetum  
saltim posse adesse; quare etiam opem  
cito feramus, symptomatibus ceteris licet

non tantopere urgentibus : fecus enim abortum oriri facile continget. Generaliter plures retroversionis casus nobis se offerunt in utero gravido, quam in non gravido. Etiam symptomata in utero non gravido, ob minus ejus volumen, minus periculi minantur, quam in gravido ob majus, ad quod extenditur, volumen.

### §. 6.

*Diagnosīs retroversionis uteri grāvidi.*

Exploratio per vaginam offert superficiem vaginae ultra modum tensam, ac in cavitate pelvis corpus durum et rotundum. Orificium solito loco non reperitur, cum nimis antrorum vergat et sursum; explorationem aequē ac situm semiñae talem requirit, ut digitus pone et supra symphy-  
sin pubis adigi possit.

Exploranti per anum tumor protube-  
rans in recto occurrit.

Obstructio alvi, medicaminibus obviis  
haud cedens atque a pressura fundi in rec-  
tum oriunda. Quare nec clysmata dato

calui medelam afferunt, quum locum pressurae transgredi prohibeantur. Qua diutius persistente, colica, ileus, enteritis prodeunt.

Retentio urinae ob pressionem vesicae ab orificio uteri. Obstinacissima est, et tumorem, ac tensionem supra symphysein cum doloribus cruciantibus ut plurimum habens comites, in gradu vehementiori cystitidem producit.

Cuncta haec symptomata plus minusve vehementia licet experiri, prout retroversio plus minusve fuerit perfecta aut jam diu persistenter aut magno vehementiae gradu repente accesserit.

#### §. 7.

*Cauffae retroversionis uteri gravidorum.*

In structura, proportione et situ partium praecellentium — uteri et pelvis — cauffae hujus morbi maximam in partem quaerendae sunt, quamvis et quaedam aliae non desuerint. Quare sequentes nominentur cauffae, seu primariae:

1. Pelvis justo amplior,
2. Gravitas uteri aequo major,
3. Situs obliquus uteri.

In quovis horum casuum modus, quo morbus fuerit ortus, idem est.

Amplitudinem ordinariam excedente pelvi, utero, qui ineunte graviditate adgravatur, debita abest resistentia. Corpus ejus justo profundius descendit, spatiumque abundans invenit, in ipsa cavitate pelvis se extendendi, quin sensim, ut fieri consuevit, ascendat. Fundus ejus altius se demittit atque ita axis longitudinalis in diametrum maximam cavitatis pelvis emititur. Quod si ergo post mensem tertium, (lege naturae sic disponente) aperturam pelvis superiorem transcendere debuerit, eam conjugatam i. e. diametrum ejus aerturee minimam transgredi prohibetur. Oritur itaque inclavatio, oriuntur et symptomata supradicta, extensione uteri aucta, ejusque situ retroverso.

Idem sit, dum uterus mox ab initio nimis aggravatus sese demittit, ac in cavitate pelvis diutius solito commoratur.

Denique et idem obtinet, utero in situ obliquum posito: nam ob molem et volumen ejus successive aucta, in diametrum amplam, sive rectam, demittitur, atque ita in cavitate pelvis ad diametrum obliquam nequit persistere. Itaque impotentia uteri, e cavitate pelvis supra aperaturam ejus superiorem se elevandi, situs que hinc ortus perversus, dictam uteri retroversionem constituant, illosque effectus signunt periculi plenos.

Caussae praedictae attentionem Medicorum forsan non satis excitarunt, idque sine eorum culpa: equidem non inficiar, alias quoque caussas, praeter allatas, retrovertendo utero posse cooperari. Quomodo enim experientiae, licet paucae, haud tamen negandae, explicarentur, quae morbum offerebant, quin uterus vel esset gravidus, vel foetum jam exclusisset? Ceu caussae tales citantur praeter vesicam urinariam, lotio praeabundantem, rectum nimis impletum; nifus vehementior, utpote vomitus, aut conatus vehemens ad excretionem alvi et urinae, lap-

sus, ictus et pressura in regionem abdominis.

Sed forsan caussae, jam jam allatae, saepe immerito incusatae sunt, quum morbus, proportione partium minus apta, vel oriretur vel oriri deberet, aut iis cooperantibus una vel altera caussarum priorum jam adesset (praecipue pelvis justo amplior), hocque modo tantum ageret veluti caussa disponens.

Hisce primis vitiis, pro caussis hujus morbi admissis, facili negotio, ut opinor, eruitur, quomodo symptomata varia tarde orientur, at tamen gradum tam altum sensim attingant. Uteri enim est, super aperturam pelvis superiorem se se extollere, idque regulariter tarde: quo ergo se non extollente, symptomata, pari modo sensim nasci, necessum est. Fundus scilicet impeditus, quominus aperturam dictam transcendat, in excavationem ossis sacri demittitur, et dein partes affines pressura afficit. In casibus, symptomata repente

orta offerentibus, caußam vehementer agentem licebit suspicari.

His partibus accuratius consideratis et casu hujusmodi attentius perpenso, proculdubio caußarum notitiam hauriemus magis adaequatam.

### §. 8.

Determinatio temporis, quo uteri retroversio in gravidis plerumque oritur.

Retroversio uteri tum solummodo sequitur, quum uterus, in cavitate pelvis detentus, super aperturam ejus superiorem nondum processerit. Utero vero, tertio aut quarto mense in pelvim superiorem ascensente, etiam symptomata impediti ascensus, vel quod idem est, retroversionis uteri, eodem temporis spatio oriantur necesse est. Fieri quidem potest, ut haec retroversio primis modo mensibus accidat — quod hinc inde symptomatibus tarde subortis se exferit; — at tum, ob volumen uteri nondum adactum et retroversionem ideo imperfectam, minus vehementia sunt symptomata, quam utero adscensus

sui tempore quasi incuneato et volumine ejus magis magisque accrescente: quanto congestiones sanguinis ex hac incunatione emanant.

§. 9.

*Prognosis* pendet

1. Ab inclavationis gradu et vehementia. Sunt observationes, retroversio nem tantam testantes, ut, ipsa morte subsecuta, repositio non efficere tur, nisi separatis ossibus pubis et vi distractis.
2. A perseverantia. Ea diutius perdurante medelam naturae, ope abortus afferendam, plerumque frustra expectamus: incunatione namque aucta et cetera augentur symptomata.
3. A vehementia symptomatum eam comitantium. Haec quidem, reposizione facta, aut abortu subsecuto ordinarie cessant; at si retroversio diu persistiterit et quidem in subjecto debili; interitum ejusdem accelerant.



Insuper alia quaedam, v. c. vesica urinaria repleta, caussam subministrant novam, quae retroversionem deum magis et promovet et sustentat.

§. 10.

*Curatio adhibetur, utero in situm suum deposito, efficiturque aut*

- 1) ope artis medicae, aut
- 2) ope naturae.

Indicatio primaria, a medico impleenda, est depositio; at difficulti eam negotio perficiet, nisi habita ratione aliarum indicationum minus principalium. Sunt eae

1) excretio urinae. Quantitate plurima abundare solet urina, tumorem producens dolorificum in regione ossium pubis. Ex retentione ejus diurna cystitis et ruptura vesicae timenda est. Ergo huic symptomati, si vires nostras haud excelerit, medela afferenda est. Insuper depositio facilius absolvitur, spatio ad hanc excretionem magis dilatato.

Modus excretionem urinae restituendi variat. Quidam in quibusdam casibus eam efficiunt digitis, vaginae immissis, ut corpus collumque uteri a vesica et urethra semoveant. Alii cathetere utuntur. Defeniri quidem non potest, quis modus in genere praferendus sit. Sensibilitas partium in consilium vocanda est. Attendantur quoque, an catheter facilis negotio immittatur vel an obstaculo quodam retardetur. Generaliter immissio catheteris mihi quidem praeparetur, utpote qua expedite et cautius facta, in partibus, tanto pere sensibilibus, tot dolores non enascuntur, quot digitis immisis ad partes detrahendas. Saepe utraque methodus indicata est.

2) Excretio faecum. Haec quidem, durante retroversione vehementi, haud efficitur: proderit tamen ante reposicionem clyisma blandum, praecipue, si intestinum rectum non plane ita interclusum est, ut clyisma rejiciat. Quod si eventus non probaverit, clyisma mucila-

ginosum et oleosum partes relaxat doloresque vehementissimos mitigat.

3) In aliis casibus et alia remedia forsan erunt adhibenda. Ita contra inflammations congestionesque, praevalentes in corpore juvenili et robusto, venaefectiones vel fomentationes et balnea ad partes relaxandas inserviunt.

His omnibus si pro ratione adjunctorum medicus satisfecerit, ad repositionem demum procedendum est. Situs aegrae tum sit ita dispositus, ut viscera abdominis, quantum fieri potest, uterum non premant; is ergo sit, ut genibus et cubitis, abdomine deorsum pendulo, innitatur grava. Immittantur duo aut plures dorsi in vaginam sub fundo uteri, eorumque ope fundus ipse super promontorium ossis sacri tarde, vi tamen quadam adhibita, haud determinanda, attolatur. Quo facto, si successus exspectationem haud fallit, uterus vi quadam in pelvem superiorem intrat.

Alii duos digitos in anum, duos alios in vaginam immisere, quorum prioribus

fundum super promontorium ossis sacri tollere; posterioribus collum uteri detrahere conabantur. At hic modus procedendi multis difficultatibus premitur, pluresque ciet dolores, et celeberrimis obstetriciis testibus superfluus est. Hi potius duobus digitis vaginae immissis repositionem, fieri quando potuit, effecere.

Repositione plane perfecta, cetera symptomata mox evanescunt, aut si perseverant, secundum ipsorum characterem et speciem tractanda sunt. Graviditas, repositione revera facta, nullum subit dispendium.

### §. 11.

Non semper autem studium nostrum felici successu videmus coronatum. Cuncta nostra molimina haud raro frustrantur, symptomata omnia ingravescent et mulier acceleratis gressibus morti appropinquant. Tum aut prius, retroversione adhuc germinante, omne periculum quandoque tollitur abortu. Utique modus, quo abortus vel fuerit ortus, vel possit



oriri, nondum, quantum satis, innotuit. Tantummodo animo obversetur, orisicum uteri vergere versus symphysis ossium pubis, fundum vero ejus versus posteriora atque deorsum, et durantibus adhuc doloribus, uterum perfecte erectum stare oportere. Vim aliam, quae magnae huic mutationi efficienda sufficiat, nescimus, nisi eam dolorum. Verum qua caussa, tempore retroversionis, in aliis dolores excitentur, in aliis nulli, nos latet. Constat tantum, abortu facto, cuncta symptoma cessare; quare et retroversio ad causas abortus referenda est.

An autem in gravidis, quae tertio vel quarto quovis mense abortum patiuntur, retroversio uteri fuerit abortus repetiti caussa, problema sit. Forsan pelvis earum ea amplitudine excedit, qua facilime retroversio oriatur.

§. 12.

Quum itaque retroversione abortum plures patientur, mox aperte, mox occult-

culte; et tamen in casu, quo repositio  
successum negaverit, abortus peroptabilis  
sit, ceu medium unicum, vitam matris  
salvandi: liquet, quanti momenti sit quae-  
stio: quid ad retroversionem praecaven-  
dam agendum sit?

Omnis caussae, tam internae quam  
externae, quas retroversionis caussas su-  
spicamus, removendae sunt, eo etiam con-  
filio, ne, quod saepius fit, gravidas pe-  
riculo exponant.

Quum vero quidam non sine ratione  
afferant: proportionem internam partium,  
caussis etiam externis absentibus, retro-  
versionem efficere, et, quod majus est,  
caussam praedisponentem continere: haec  
vitia praeprimis tollenda sunt. Huic au-  
tem officio non tam facile satisfiet, et mo-  
dus noster procedendi tum solummodo  
locum habet, quamprimum constiterit,  
aegram retroversione jam laborasse, eam-  
que rursus esse gravidam. Quo casu situs

B

horizontalis et pessarium fructum quem-dam praestarent.

Praecipue caveat medicus, ne in morbo gravidae inquirendo formet diagnosin praepropere: secus enim cystitidi vel enteritidi mederi conabitur, iis nondum extantibus aut demum, sublata prius caussa, tollendis. Caussa vero ipsa, per se morbum sui generis constituens, opem medici effugiet; atque illa omnesque alii ab ea pendentes morbi cuncta ejus studia reddent irrita.

## SECTIO II.

### DE VENAESECTIONE IN GRAVIDIS.

§. 13.

Corpus organicum, humoribus vel enormius vel moderatius subtractis, posse aut necari, aut debilitari, in comperto est.

In morbis omnibus, characterem synochae propositentibus, in quibus omnes actiones energia justo majore succedunt,

modus noster agendi eo collimat, ut aliquo modo, sive venaefectione, sive alvox laxa reddit, corpori humores subducamus, quo actiones vehementiores mitigentur corpusque ad statum suum normalem reducatur.

Pariter elucet, in quovis morbo, charactere typhi luculenter insignito, evacuatibus humoribus morbum aggravari, non tolli. Unum quidem fere omnes suggerunt medici, — quod ipsum adeo sensim in defuetudinem abiit — ut caufsa morbi, immo caufsa ejus forsan proxima, quaeratur in corruptione humorum, licet certi vix quidquam de ea constet. At potius mos invaluit, humores, ceu irritamenta corporis animalis universalia, quibus processus chemico - animales ad partem peragantur, considerandi, corruptionem autem tanquam quemdam morbi effectum.

Sanioribus hisce principiis imbutorum plures modo evacuationes, utpote minus necessarias, reprobant; sed sententiae eo-

rum — licet bonae — multa offeruntur obſtacula. Sunt ſcilicet, qui opinionibus antiquis tenacius inhaerentes, recentia quaevis ſpernunt, utcunque utilia, qui adeo — veluti proni ventres — preeonceptam illam methodum tuentur, quae jubet homines ſanos, sanitatis conservandae cauſſa, ſtatis diebus humoribus ſe pri- vare! — Interea hiſce evacuationibus, ſanguinis praecipue, in nulla vitae periodo gravius nocetur, quam tempore graviditatis. Adeo ipſo hoc tempore plures feminae, etiam, quin medicum cōſulant, ve- nam ſibi ſecari curant, ad ſe — ut ajunt — prolempque ſanas conservandas, ignarae au- tem, ſibi prolique dilectae interitum pa- rari.

Contra hunc falſae perſuasionis fructum plures ingenui Viri indignationem ſuam juste effuderunt; verum et hodie dum iusta haec indignatio in medicis aequa ac gra- vidis effectum ſperatum adhuc fallit. Ve- naefectionis ſequelae non ſemper illico o- currunt; ſed ejus patroni, ſi quae prove- niunt, alias earum rationes enucleare

amant, fundamento licet omni destitutas.  
Nexus causalem vere talem hic exquirere, hoc opus, hic ipsis labor est! —

Quaedam quidem momenta existare putantur, quae venaelectionem in dicta temporis periodo fraudent; me autem judice, ipsa sanguinis missio in gravidis rarius indicata est, quam vulgaris fert opinio. Rem verbo: Venaelectiones minus necessariae et crebro repetitae morbis et matris et foetus occasionem haud raram parant, immo et abortui.

§. 14.

Ratio capitalis, qua venaelectione in gravidis defenditur, haec est: menstruatione mox post conceptionem cessante — inquiunt — evenit plethora, procreans congestiones, vomitum et vertiginem. His — pergunt — valetudo gravidae laeditur, vita foetus subit periculum, quid? quod abortus instat. — Ita quidem colligunt illi; verum prius evincatur: a) menstruatione cessante, illud pleniorae verae periculum non

emergere, quamprimum venam secueris;  
 b) symptomata dicta aliis caussis non esse  
 accenfenda, et c) venaefectionem omni-  
 bus malis recensitis ita mederi, ut ea non  
 potius aggravet aliaque periculosa sympto-  
 mata inferat.

## §. 15.

Menses itaque ideo cessant, ut indica-  
 tiones necessariae impleantur, videlicet:  
 efformatio foetus partiumque ad eam spe-  
 ctantium. Tum ut evolvatur uterus, qui  
 ante conceptionem pars erat mere vege-  
 tans. Denique ut aliae partes v. c. mam-  
 mae ad destinationem futuram praeparen-  
 tur. Sanguis autem omnium harum func-  
 tionum vel proxime vel remote particeps  
 est. —

## §. 16.

Mox a conceptione placenta sub specie  
 membranae neonatae, deciduae ab *Hun-  
 tero* dictae, occurrit, foetu licet non appa-  
 rente, qui notatur post aliquot demum  
 hebdomades cum velamentis et aquis, qui-

bus quasi innatat. Hoc tempore graviditas quidem nondum, ceu certa, appareat; at tamen foetus continuo evolvitur, quamvis tarde. Postea accrescit magis, accrescant et omnes ejus partes de mense in mensem et quidem quatuordecim dierum spatio ita notabiliter totque cum mutationibus, ut captu difficile sit, tempore tam brevi quomodo ea omnia perficiantur. Eadem porro ratione haec efformatio ad plenam usque maturitatem progreditur, sed non absque nutritionis adminiculo. Primis enim mensibus placenta, funiculus umbilicalis etc. nutriuntur humoribus, quos ipsis vasa uteri advehunt. Deinde nutriuntur partim his humoribus, partim etiam sanguine foetus, licet et hic humores suos ex utero hauriat. Humores hi quidem non sanguine vero constant, e sanguine tamen arteriarum uteri secernuntur, atque ita pars sanguinis materni sunt.

Extensionem uteri ejusque modum scrutans invenit, falso eos opinari, qui contendunt, extendi uterum more globi



cerei eumque eo magis attenuari, quo fusiū protendatur. Res aliter se habet. Equidem crassities uteri gravidi ab ea non gravidi parumper differt, ita ut quidam promptius affererent, ejus crassitatem manere, semper eandem: at tamen crassior est, ubi placenta utero adhaeserit; tenuior — in regione colli. Fibrae uteri protenduntur, cumque iis vasa ea nutrientia, quae ad fibras extendendas et prolongandas plurimum faciunt et quam latissime extenduntur, ubi placenta adhaeret. Hac in regione vasa sunt ita ampla, ut apicem ditti immittere liceat, reliqua crassitie calatum aequant. Etiam vasa lymphatica ad enormem amplitudinem procrescunt. Hic ergo status omnino exigit, ut uterus gravidus ditiore sanguinis copia impleatur, quam non gravidus: quare et partibus corporis reliquis sanguis uberius subtrahitur.

Mammae mulierum mutationes subeunt, quibus ad negotium, cui inserviunt, sensim disponuntur. Antea quidem jam forma prostant, qua organo fecernenti adaptantur.

Acini, ductus lactiferi, papillae jam dudum ad sunt, sed tum demum secretio lactis per agitur, dum et mammae, ob perdurantem statum uteri mutatum, quocum in notabili harmonia versantur, symptomata ea afficerint, quibus ad lac secernendum aptae redduntur. Septimo tandem mense intumescent, succus crudus tum potest exprimi, et gravidae quiddam punctionis et unctionis instar in iis sentiunt. Succi nutritii secernendi demum plane capaces sunt, negotio uteri cessante, sive foetu jam excluso, qui modo, quo antea, nutritionem a matre haurire amplius non potest. Sicut igitur cuiusvis in corpore nostro processus, ita et mutationis successivae organi ad negotium ipsi destinatum, sanguis essentialiter sit particeps.

§. 17.

Quibus omnibus rite per pensis, satis eluet, corpus semineum gravidum praenon gradio copia sanguinis indigere multo majore. Ponamus, quovis mensium profluvio jacturam sanguinis ad septem un-

cias fieri; comparemus adhaec omnem copiam sanguinis, tempore graviditatis ob menses suppressos in corpore remanentis, cum pondere foetus maturi ejusque partium: apparebit, foetum suo pondere dictam sanguinis copiam longe excedere, licet, quod supra dictum est, foetus omnem, qua efformetur, materiem e sanguine matris habeat.

Plethora ergo liberalius supposita, cuius sequelae nimium quantum metuuntur, ubi locum habitura sit, non video. Quantam sanguinis copiam uterus praeterea non exigit, ut ad enormen illam magnitudinem intumescat! Deficiente sanguine, omnes etiam illae partes quomodo efformabuntur? — Quomodo nutritur foetus? Profecto, is vel nasceretur debilis et privabitur vita vix inchoata; vel vita perstiente, infirmam organorum structuram prae se ferret; aut prius forsitan eo in loco extingueretur, in quo ad plenam usque efformationem maturescere eum oporteret. Abortu itaque secedet, sui genitricem omnibus ejus periculis exponens.

Sed et matri defectus sanguinis noxius fit. Debilitatem contrahens, vires desiderat, quae sufficient, doloribus partus rite perferendis. Etiam haemorrhagia, in quo-vis sere partu obvia, et fluxus lochialis, vires adhuc superstites, miserae adimit, quo fit, ut status hujus conjectaria, durante morbo puerperii, ob defectum lactis alios: ve morbos chronicos exhaustam durius persequantur.

§. 18.

Ceu caussam secundariam, qua venae- fectionem gravidarum tueantur, allegant crustam inflammatoriam, in sanguine gra- vidarum notabilem. Verum, quod ple- thoram illinc veram inferunt, praeprope- re fit. Experimenta quippe perutilia quo- rumdam Franco-Gallorum nobis suffragio sunt, coagulabilitatem et crustam inflam- matoriam sanguinis animalium occisorum eo, quo sanguinem amiserint, gradu au- geri. Eandem quoque crustam reperimus in gravidis egregie debilitatis; etiam in morbis aliis, e. g. scorbuto etc. quin ali-

quis, rei medicae probe gnarus, venam  
ideo secari jubeat.

## §. 19.

Medici, qui de conamine naturae sa-  
lutari tot et tam ampla verba faciunt, ac  
semetipſos nonnisi naturae famulos vendi-  
tant, regulas syllogistices plane neglexisse  
videntur, praecipue in hoc, de quo agi-  
mus, casu. Natura, pro prima organorum  
nostrorum dispositione evidēti, fecellum  
sanguinis menstruum providentissime sisiit,  
ut hic ipſe sanguis, ad fines altiores tum  
destinatus, hos assequatur: et tamen illi ip-  
ſi naturae famuli sanctam ejus oeconomiam  
involant, turbant, sacrum illum sanguine-  
m periodice depromendo! Sane, si ex  
mensium suppressione tot tamque horren-  
da enacerentur mala, quibus natura ſuo  
fine fruſtraretur: natura utique, fecus tam  
provida, sanguinis proſluvio repagulum  
neutiquam objecilſet.

Multae porro feminae patiuntur sola  
menstruatione vaginali: quaenam jam ra-

tio sit, quae hanc in hoc etiam casu locum obtinere prohibeat? Exempla nonnulla docent, feminas, durante etiam graviditate, fluxu menstruo laborasse; sed, experientia teste, illae semper infantes debiles morbisque expositos ediderunt.

Venaefectionis effectus, quod supra monuimus, tardius quidem, quam remediorum abortivorum, aut perturbationum animi vehementium insequitur; sed insequitur, pede licet lento, non minori cum periculo. Secetur enim matri vena, quin mox inde damnum aut abortus immineat: disponetur tamen ejus corpus, ut ab omnibus irritamentis, etiam mitioribus, vehementius percellatur. Femina robusta et valetudinis integrae, ob irritamentum extrinsecus agens, non tam facile abortum patietur, quam mollis et delicatula, quae vel consuetudine vel medico sic volente in sui ipsius perniciem, optimis se privabat humoribus.

Ut nociferum venaefectionis magis patet, ratio habeatur temporis, quo fit, et caussarum remotarum in gravidas agentium.

In tertium usque quartumve mensem nemini certo apparet, feminam quandam esse gravidam. Tum vero variis corripitur symptomatibus, huic statui adjunctis. Hac in periodo foetus incrementum egregium capit, quo extensio uteri posthaec insequens celerrime procedit. Ad haec autem omnia, quod jam innuimus, cooperatio sanguinis requiritur: et tamen in hac ipsa periodo, immo quandoque prius, gravidarum vena secatur, utique non absque dispendio gravissimi negotii, quod in corpore earum interiore tum peragitur. Ad haec, quod magis dolendum est, duobus aut tribus mensibus, vix aut ne vix elapsis, venaefectio repetitur, et certo certius etiam paullo ante partum, ad partum — ut inquiunt — facilitandum et ad spasmos convulsionesque praecavendas. Sed quis non videat, partum plurimis in casibus in-

de, idque e re nata, reddi difficiliorem! Integritas quippe omnium functionum ad partum non difficilem paeprimis requiriatur. Femina robusta, morbos puerperii, etiam periculosos, facile exsuperat salva. At gravida, quae vel suo vel medici consilio jacturam humorum non necessariam fecerit, infirmatur; infirmata autem ad convulsiones, spasmos, haemorrhagias aliosque morbos asthenicos disponitur.

Caußae remotae in gradum morbi ejusque characterem quam maxime influunt. Eas plerumque ejusmodi esse putem, ut plurimis in casibus a venaefectione deterreant. Generatim corpus femineum, pae virili, ad morbos sthenicos minus dispositum est.

Huc accedit, debilem hanc dispositionem augeri in divitibus, educatione et more vivendi, vita sedentaria et inertia nec non timore a partu appropinquante. In pauperibus augetur misera egestate ac cogitatione, puerperio occasionem quid-

quam promerendi sibi intercludi, familiamque suam saepe satis modo numerosam adhuc accrescere; demum defatigante labore cum tenui victu tempore gravitatis. Solutas cruciat timor a detectio-  
ne, ac repraesentatio ignominiae vel per  
leges vel per homines inhumanos inferen-  
dae. — Adhaec varices, oedemata pedum et labiorum vulvae, in gravidis oriunda, satis superque indicant, circulationem  
sanguinis sua sponte non ita procedere,  
ut partes quaedam sanguinem sibi debi-  
tum debite accipient.

## §. 21.

Evincere jam conatus sum, venam gra-  
vidis secando, abortum aliaque symptomata  
noxia posse effici, verumtamen nil hic  
reprobo nisi abusum. Omnem omnino ve-  
naelectionem gravidis prohibere, nullatenus  
mihi mens est; at casum, quo vena  
tundatur, medicus practicus circumspecte  
determinet, ob difficultatem, quam parit  
plurimam. Hoc remedium nunquam ar-  
ripiet

ripiet artis medicae ingenuè peritus, nisi morbo cum charaktere synochae praesente; non autem in quovis symptomate minore, quod nequidem characterem perspicue offerat. Graviditatem non adnumerabit caussis ad sanguinem emittendum impellentibus; multo minus id ipsum gravidis praedicabit ceu remedium praeservativum. Venaesectione, ceu remedio praeservativo uti, noverit esse malum, quo mala plura enascantur. Certitudo graviditatis quibusdam medicis indicatio est, venam esse secundam; at haec sententia quam nocifera sit, per se jam patet.

{§. 22.

Praejudiciis hisce obsoletis at profundiis irradicatis sensim abolendis animum intendere, Medici est. Utique conatus ejus nec semper nec ubique pro voto succedit, nisi politia medica ei suppetias tuluerit. Hujus praeprimis est, saluti civium invigilare et praecipuae curam gerere

C

membri, quod fibimet ipsi servando impar,  
undequaque pendet ab alio. Illius est,  
prospicere, ut homo natus sit salvus; qua-  
re et curam ejus incipere, vita hominis  
incepta. Illius est curare, ne tot homines  
in lucem edantur mortui, unde respubli-  
ca matrem saepe perdit ipsam; ne tot de-  
biles lucem subeant, qui luce vix visa  
privantur aut saltem debilia evadunt mem-  
bra reipublicae. Quam diu quaevis gra-  
vida pretio soluto occasionem nanciscitur,  
sanguinem emitendi, effusiones sanguinis  
non cessabunt. Hic politiae est, remo-  
ram injicere abusui, atque omnibus, debita  
corporis humani notitia destitutis, interdi-  
cere, ne, medico inconsulto, venam vel  
fecent, vel secari faciant. Venam feminae  
fecturus inquirat oportet, an gravida sit nec  
ne. Optandum esset, ut libertas venam tun-  
dendi maxime restringeretur. Scimus,  
auctores modo antiquiores venaelectio-  
nem remediis adnumerasse, quibus abor-  
tus studio procreetur.

## SECTIO III.

## DE HAEMORHAGIA UTERI.

§. 22.

In sectione praecedenti, detrimentum perpendimus, quod matri prolique e venae sectione minus necessaria prodierit. Detrimentum augebitur, dum in organo, ad gestionem et nutritionem fructus requifito, etiam remotis cauſſis et externis et internis nobisque invitis, haemorrhagia fuerit orta, quam ſiſtere fruſtra laboramus.

Haemorrhagia uteri indubitato frequens et, ſpectatis ejus ſequelis, cauſa abortus est periculosa. Insuper et quemvis abor- tum vel ſubsequitur vel comitatur: et hanc ob cauſam attentionem omnem meretur.

§. 24.

In diagnosti hujuſ morbi (ſanguine jam profluente) attentione quadam adhibita errorem facile evitabimus. Evidem ex hac parte ſanguinem promanare, fieri po- test, quin ideo haemorrhagia uteri obti-

C 2



nuerit. Contingere potest, varicem crepuisse, adesse menstruationem vaginalem, quae facta conceptione perseveret aut post aliquod tempus appareat. Potest etiam haemorrhagia ex aliis caussis mox dignoscendis pendere, praecipue quando mensibus posterioribus accesserit. Difficilior est cognitu, quando mensibus prioribus se prodit, primo, secundo, tertio. Sanguis stillatim tum excibratur, collum inter et deciduam *Hunteri*, quae more obturaculi in collum protrahitur. Tum attendatur temporis, in quod haemorrhagia duret, attendatur statui virium mutato, mutationibus colli uteri et colori sanguinis purpureo, Difficilior cognitu est haemorrhagia, in qua sanguis nullus fluxerit, remanens in cavo uteri. Sed et haec dignoscitur e colore vultus pallido, e jactura virium et loquela, pulsu demisso, sensatione caloris grata et gravitatis in regione uteri, e deliquiis praeter caussas ceteras haud detegendas accendentibus. Elevatur patera uterus, abdomen repente accrescit, frigescunt extremitates.

## §. 25.

Cauſſa praecipua haemorrhagiae gravidarum est separatio placentae ab utero. Ictus vehemens, lapsus, percussio electrica, omnis commotio vehemens, a cauſſa externa vel interna profecta, debilitas matris, defectus succorum nutrientium, dictae separationis cauſſa sunt. Utique et aliae cauſſae pares sunt, etiam sine separazione placentae, haemorrhagiae efficien-dae. Spectant huc laesio uteri, vi quadam externa facta, polypi, scirrhi, hydatides uteri, etc. Facile quoque oritur haemorrhagia in ſubjectis. Venere vel fluore albo debilitatis, in primiparis, verofimiliter ob irritabilitatem nimiam; in illis, quae abortum jam paſſae ſunt, in embryo-ne emortuo, et utero nimis laxo vel rigido. Potest etiam intra ovulum haemorrhagia e funiculi umbilicalis ruptura proſi-cisci. Separatio haec facile fit, quoniam placenta utero remiſſius adhaeret. Con-tingit eo facilius, quo propinquius placen-ta collo uteri adhaerit. Haec ſedes pla-centae, non debita, in altera graviditatis



medietate, est cauſſa praecipua haemorrhagiarum, quae, ſi frequentius iterantur, maxima pericula innunt. Haemorrhagia, quod ſupra notavimus, tam ante quam post partum, non ſemper ſenſibus obvia eſt. Spatium uterum inter et placentam amplum ſatis eſt, ut capiat quantitatem ſanguinis notabilem, priuquam appareat. Hoc ita fieri, obſervata clariffimorum obſtetriciorum evincunt. Facta conceptione, orificium uteri quodam glutine mox obſeratur. Haemorrhagia uteri oriente, gluten hoc quaſi deſtrui aut reſolvi debet, priuquam ſanguis promanet. Sanguis itaque tum profluens, in utero praexistat neceſſum eſt, etiam nobis inſciis.

§. 26.

Quaevis haemorrhagia uteri graviſi periculum minatur, idque pro adjunctis diuersum.

Periculofior eſt in ſubjecto debili, quam in robusto.

Periculofior mensibus posterioribus, quam prioribus.

Periculosior haemorrhagia interior exteriore.

Periculosissima est post partum, a paralysi uteri orta.

Non facile funestae sunt personis integræ sanitatis, sed facilius lue venerea aut scorbuto infectis. Quin multum sanguinis amittant, convulsionibus corripiuntur: et convulsiones ex haemorrhagia ortae periculosisimae.

§. 27.

Haemorrhagia est caussa frequens abortus. Oritur plerumque separata placenta, quae vel rursus affigeretur aut corrugaret, quin per se (nisi separatio tanta esset, ut nutritio foetus impediretur) abortum efficeret. Sed haemorrhagiis subortis, sanguis vasibus uterinis subito subtrahitur. Uterus sanguine amisso, quo ad se extendendum indiget, constringitur. Sanguine in uterus immisso, orificium aperitur, et persistente haemorrhagia, foetui nutrimentum subducitur. Omnes hae caussae abortum procreant; et ex haemorrhagia producent omnes.

Haemorrhagia uteri accedente, Medicus eam tractet pro ratione adjunctorum, ut si fieri possit, abortum praecaveat vel subtractionem humorum, matri infestam, praeveniat. Medici est, caussas remotas, siuae exstant et adhuc operantur, repellere. Ordinarie sunt ejusmodi, ut effectus earum ad illud solum momentum, quo applicantur, restringatur v. c. ictus, lapsus, animi pathemata vehementia. Tamen et effectus earum continuari possunt, e. g. vestes arctae aut arctius induatae. Gravida ergo propter sequelas adversas, inde orituras, se iis non induat, vel non ita. Secus circulatio irregularis sequitur, sanguis ad partes internas cum vehementia repellitur: quare et medicus eas deponi curet, ad circulationem regularem restituendam. Haemorrhagiae tunc secundum characterem suum diversum pertractantur.

In pluribus scriptis de haemorrhagiis sistendis, cuivis attento facile patebit, hoc

malum definientes, characterem earum non circumspexisse, quantum satis. Secus multa remedia, simul proposita, non reperires, quae, experientia teste, variant effectu, et quorum quodvis in charactere definito solum cum fructu adhibendum, in opposito autem inutile fit, immo noxium. Multa remedia tunc non sine limitibus pro omni casu adeo fuissent celebrata. Copia remediorum pro sanguine fistendo abundat, ita, ut tractatum de iis scriberes si singulatim omnia citare ac crisi discernere esses mentis. Hic, quantum per fines licuerit, curationem haemorrhagiarum pro vario earum charactere percurram, et remedia praeserenda allegabo.

§. 29.

Nostris diebus, ceu rem consideratu dignissimam, propositum legimus: num haemorrhagiae sint sphenicae vel asthenicae? Et asthenicas esse omnes, respondent plures. Verum est, plurimas haemorrhagias uteri methodum ferre robo-

rantem et excitantem; itaque esse asthe-  
nicas. Omnes observationes hoc testan-  
tur. Exempla quidem non defunt, in qui-  
bus vena secta est; haemorrhagia sthenica  
ergo fuit supposita. Sed quomodo cura-  
tio dein fuit peracta? — Opio, tinctura  
cinamomi, china et remediis aliis, in so-  
lo typho applicandis. Ejusmodi ergo ob-  
servatio recta dici nequit. Rari sunt ca-  
sus, in quibus haemorrhagia uteri metho-  
do mere antiphlogistica tolleretur. Ve-  
rum sint rari: inde minime inferes, eas  
numquam existare.

Haemorrhagia uteri charactere syno-  
chae erit conjuncta in muliere juvenili et  
robusta, quae ante graviditatem integre va-  
lens, prima vice fuerit gravida; quae du-  
rante graviditate humores nullos evacuari  
curaverit, diaeta lauta et plena fuerit usा,  
quin defatigaretur labore, curis aut taedio,  
et in qua haemorrhagiae cauſa res erat  
excitans. Haemorrhagia, ut quivis mor-  
bus hunc characterem p̄aeferens, minus  
periculi minatur, quam haemorrhagia cum

charactere typhi et paralyseos conjuncta. Ipsa haemorrhagia orta est remedium haemorrhagiae sistendae, et Medici officium cessaret, nisi vel evacuatio sanguinis subitanea ex parte, quae eodem ad se exten-dendam indiget, vel separatio placenta<sup>e</sup> inde magis effecta, vel orificio uteri apertum essent caussae, quae jubeant, copiam sanguinis aliorum dirigere, et syno-cham tollere aliis remediis. Vena itaque in brachio tundatur, non solum sanguini evacuando, sed etiam revulsioni efficien-dae, utpote ut sanguis ab utero ducatur. Caute interea hoc remedium adhibeas! Nonnulli obstetricii raro illud congruere contendunt mense septimo vel octavo; po-tius altero aut tertio. Vena tamen non prius secetur, quam certo constiterit, sy-nocham adesse; secus pro experimento in-serviant potius excitantia. Attamen exem-pla docent, heroicum illud venaelectionis remedium pluries felici successu repeti-tum esse.

Interne porrigantur, quae sic dicunt,  
refrigerantia. Laxantia maxima cum cau-

tela des. Efficiunt congestionem novam, et jam sola promovent abortum, praesertim in corpore sensibili. Porro situs servetur horizontalis et quietus. Omnia, quae sint irritamento aegrae, removeantur. Diaeta sit his omnibus accomoda. Hae regulae obseruentur, etiam haemorrhagia cessante, ne recidiva oriatur, raro fistenda.

§. 30.

Haemorrhagiae plurimae, quod et omnes observationes testantur, adjunctum habent characterem typhi. Remedia plura contra haemorrhagias tam fuse celebrata sunt e classe excitantium. Haemorrhagia ejusmodi periculorum plena est. Quaevis gutta sanguinis effluens augendo typhum auget et periculum. Infestat personas irritabiles, debiles, adstrictas diaetae tenui, aut labore vel taedio fractas. Oriuntur ex haemorrhagia, charactere synochae conjuncta, dum synocha diu nimis durat vel Medicus insuper debilitat. Opium tunc, tinctura cinamomi, china cete-

raque remedia congruent, e classe Excitantium, roborantium, antispasmodicorum, adstringentium, ceu remedia contra haemorrhagias allegari solita. Etiam emetica convenient, in parvis vel magnis dosibus porrecta, praecipue ipecacuanha. Quidam cum successu prospero utuntur tinctura cinamomi. Dosis absolute determinari nequit, ratione individui et haemorrhagiae applicanda. In casibus desperatis dosi majori porrecta fructum praestitit optatum. Regimen his remediis respondeat. Victus, durante vel vix cessante haemorrhagia, alimentis leniter nutrientibus constet; postea alimentis stimulantibus et roborantibus. Generatim etiam remedia stimulantia, caute adhibenda sunt. Hilaritas animi praecipue requiriatur. Tempore haemorrhagiae somnus fit parcus.

§. 31.

Potest denique haemorrhagia charactrem paralis induere. Plerumque hic status paullo ante mortem ingruit, homini-

bus ex haemorrhagia morientibus. Oritur ante vel post partum, utero penitus paralytico nec se contrahente. Unicum remedium applicatio omnium remediorum, tam excitantium quam roborantium est. Verum plerumque omnia fructum negant, et mulier interit.

§. 32.

**Paucis** demum remedia externa adlegemus. Quaedam horum a quibusdam promiscue celebrantur. Praecipua sunt:

*Frigus, aqua frigida* ad fomentationes, ad injectiones, et generaliter *regimen frigidum*. Frigus a plurimis consideratnr ceu remedium roborans, adstringens; et hoc supposito, in sola haemorrhagia, charactere typhi conjuncta applicandum. Ut ceu tale operetur, momentaneo usui sit. Attactu primo tum operatur. Fomentationes frigidae, saepe repetitiae, et donec incaluerint, relictae, in hisce haemorrhagiis saepe evadunt nociferae. Debilitant et augent haemorrhagiæ.

giam.



giam. *Injectiones quoque operantur coagulando sanguinem vasaque obstruendo.*

*Injectiones remediorum excitantium.*  
In casu mihi noto, medelam afferebant subitaneam ceteris omnibus effectum frustrantibus. Aegra morti appropinquante, proderat, quin symptomata mala dein prodirent, injectio tincturae cinamomi.

*Compressio abdominis fasciis.*

*Glomus vaginae immissus.* Linteum carptnm, glutinosis et stypticis sic dictis e.g. gummi arabico vel alumine litum vaginae immitatur, sed diu ibi permaneat.

§. 33.

Omnibus his incassum adhibitis, et haemorrhagia priore cum vehementia insistente, dolores excitentur, nisi sponte jam adsint. Porrigantur roborantia et stimulantia, collum exploratione saepius reperita irritetur, abdomen fringatur.

D



Auxilium, durante partu, tempori gravitatis accommodatur. Primis mensibus nil agendum, nec agere quidem possumus. Foetus omnes dimensiones transit. Serius obstetricius opituletur. Omnibus remediiis jam applicatis, vesica liquoris amnii disrumpitur. Uterus tum super velamentis embryonis se contrahit. Continuetnr praeterea applicatio remediorum allatorum ad dolores excitandos. Haemorrhagia demum si cessat, et si situm rectum tenet infans, negotium partus naturae relinquitnr. Si persistit et orificium adhuc clausum est, illud immisis digitis sensim dilatandum est, et pro varietate situs infantis operatio fit. Capite in pelvi superiore collocato, versio adhibenda; sed in cavitate pelvis versante, applicetur forceps. Quaevis operatio lenite peragatur: utero enim post foetum exclusum se non statim contrahente, plerumque mors sequitur. Abdomen stringendum, et capite, ope forcipis extracto, pars corporis reliqua ope dolorum potius emittenda est.

Partu peracto, sed haemorrhagia ad-  
huc persistente, pergatur remediis supra  
dictis. Si haemorrhagiae causa forsan  
placenta est, ea tollatur. Caveas autem,  
ne praepropere procedas: saepe namque  
ipsa remanendo haemorrhagiam sistit

Cessante haemorrhagia, roborantia et  
leniter nutrientia porrigenda sunt ad plu-  
res morbos facile insequentes, quorum  
praecipuus hydrops est, praecavendos.

## THESES.

### I.

Remedia laxantia in morbis, cum charactere synochae conjunctis, ut plurimum adhibenda sunt.

### II.

Divisio lethalitatis vulnerum optima illa est in 1. absolute, 2. absolute individu-  
liter, 3. per accidens lethalia.

### III.

Contagium non proximam sed remo-  
tam morbi caussam continet.

### IV.

Operatio fistulae lacrymalis solummo-  
do, coalitu ductus nasalius revera praes-  
ente, instituenda est.

### V.

Non datur signum certum graviditatis  
ante mensem quartum.

---

KD18  
PICA



DE

5

# CAUSSIS QUIBUS DAM ABORTUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

HALENSIS,

UT

GRADUM DOCTORIS IN MEDICINA

RITE ACQUIRAT,

D. XI. DEC E M B. MDCC C I C

PUBLICE DEFENDET

A U C T O R

H E N R I C U S B O E L L I N G

M A R C A N O - G U E S T P H A L U S.

H A L A E,

T Y P I S S C H I M M E L P F E N N I G I A N I S.

